



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

8 Purgatorij poena major est omni poena, quam unquam aliquis patiatur in  
praesenti vita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

absolutionis virtute illa pœna æterna peccato debita, quæ per contritionem commutata erat in temporalem, aliqua ex parte tollitur, ideo, si decederet sine confessione, non tamen contempta, sed præventa gravius, & diutius puniretur in purgatorio, cuius pœna est ignis, qui, etsi æternus non sit, ¶ miro tamen modo gravis est, quoniam excellit omnem pœnam, quam unquam aliquis passus sit in hac vita, & nunquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, & multi nequiter immensa sustinuerint supplicia, Aug. in lib. de pœnit. relatus in cap. nullus, de pœnit. dist. 7. Graff. eod. c. 15. nu. 48. & Bellarm. in 6. controv. gener. lib. 2. cap. 14 de purgat.

9 Pœna, quæ debetur, ¶ est duplex, id est pœna damni, quæ est carentiæ visionis Dei ex parte aversionis, & hæc est æterna, ut qui contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur, & pœna sensus ex parte conversionis ad creaturam, quæ cum non sit infinita ex genere suo, non est æterna, quo fit, ut, si huiusmodi conversio non esset aversio à Deo, non deberetur ei pœna infinita, ideo peccatis venialibus non debetur, nisi temporalis; & hinc colligitur, quod, cum per contritionem, & per satisfactionem homo convertatur ad Deum, recuperet amicitiam Dei, ac etiam tollatur æterna pœna damni, cap. dixi, & cap. magna, de pœnit. d. 1. remanet tamen pœna sensus in hoc sæculo persolvenda, vel per pœnas spontè à nobis confessis pro vindicando peccato susceptas, vel sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositas, vel etiam per temporalia flagella à Deo inflictæ, & à nobis patienter tolerata, Conc. Trid. sess. 14, c. 9, cap. sunt plu-

res, de pœn. d. 3. & Graff. eod. c. 7, n. 1, 2, & 3. par. 1, lib. 1. Quod, si ea pœna in hac vita non luatur, luenda erit in purgatorio, hæc autem est pœna, quæ per indulgentias tollitur. Verùm, quia aliqui indulgentiam plenariam dividunt ¶ in plenam, sive plenariam, plenioram, & plenissimam.

Quæritur, an re vera inter se differant, Aliqui autem putant esse differentiam realem inter has tres species super enumeratas, ut Palud. in 4. dist. 20, q. 4. Adr. pariter in 4. q. de Indulgent. colum. 12. & Navar. d. not. 9, num. 4, & not. 22, num. 50, & 51. sed melior videtur eorū sententia, qui nullam inter plenariam, plenioram, & plenissimam constituunt differentiam, quam tenet Sot. in 4. d. 21, q. 2, art. 1. Michaël Med. & Cordub. q. 11. de Indulgent. & cæteri omnes recentiores: gradationem autem illam solummodò adhiberi ad exaggerandam, seu potius explicandam indulgentiæ plenitudinem, qua nihil amplius desiderari possit, ut bene advertis Graff. d. cap. 15. nu. 45. Quando autem Papa plenariam omnium peccatorum indulgentiam cõcedit, perinde est, ac si vocabulo, plenissimæ uteretur, ut manifestissimè exemplo ostendi potest, amphoræ enim aquæ plene nõ majus datur vacuū, quàm plenissimæ tribuatur. Nec differt ¶ plenaria indulgentia ab ea, quæ cõceditur in anno sancto, vel aliis temporibus vigore Jubilæi, sed in Jubilæo, præter plenam remissionem pœnæ, multa solent concedi privilegia, quæ per indulgentias communiter non conceduntur, ut facultas eligendi confessariū, potestas absolvendi à casibus reservatis, & commutandi vota, ut per Sot. d. q. 2, art. 1. dist. 21. & tenet etiam Graff. ead. decis. 15, num. 29.